



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Goa Insvla Et Vrbs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11473

inde stationibus Evangelii causa diuersa ac remotissima Orientis loca Socii penetrarunt, sequitur vt de singulis aliquid breuiter dicendum esse videatur.

GOA INSVLA ET VRBS.

ATque vt à Goensi ducatur initium, quod in Asia fundatum est omnium primum, (distat autem à Lusitaniæ littoribus Goa, recta quidem linea, leucarū duo milia, consueta verò nauigatione, circiter quatuor) cum Ioannes tertius Lusitaniæ rex in vrbe Goa per amplas ædes, quæ D. Pauli vocatæ sunt, & vestigalibus certis instructas ideo comparasset, vt in iis aleretur proborum doctorumque hominum copia, qui in vnam barbarorum conuersionem toto pectore incumberent: Didacum quendam magnæ estimationis virum, piumque simul ac litteratum, vniuersæ procuratori proposuit. Is, vt primum Xauerius in ea loca delatus est, viri institutis vitæque ratione mirabiliter captus, factaque ex eo de reliquis coniectura, secum ipse statuit Societatem IESV maximè dignam esse, cui eiusmodi prouincia delegeretur, totamque rem per litteras cum Rege communicat. Rex, qui optimè de eo hominum ordine iam antè sentiret, haud grauatè concedit in eandem sententiam. Goanas ædes vnâ cum instrumento vestigalibusque confestim Societati attribuit, idque Collegiū nouis deinceps beneficiis liberalissimè cumulauit, auxitque, non Sociis solū, sed etiam neophytis nutriendis ampla decreta pecunia. Missi eò statim concionatores, Confessarii, doctores, & ceteri ad vsus domesticos necessarii. Versantur autem hoc tempore in eo contubernio (ex quo in cæteras Indiæ partes identidem supplementa mittuntur) Socii amplius centum: qui cum nulli rei dent operam, nisi Christianæ fidei propagandæ, tantis occupationibus distinentur, vt sæpe non nisi tres quatuorve ex omni numero domesticos intra parietes, & si quidem valetudine aduersa retenti, remaneant. neque verò, si multo plures eò mittantur, cunctis negotium desit. Theologiæ scholas habent, artiumque liberalium: nec humanioribus modò litteris, verum etiam Indicæ linguæ vsu exercètur, quo facilius, siue interpretis opera, Euagelii promulgatio sit. Eadem opera instituuntur etiã pueri amplius sexcenti è diuersis regionibus oriundi, Brachmanes, Persæ,

Goensium in Asia fundatum Collegium, Lusitaniæ regis liberalitas & in signis pietas.

Goa, Socii amplius centum Christianæ fidei propaganda dant operam.

*Pueriam
plus 600
è diuersis
regioni-
bus orit-
di, Goa
institui-
tur.*

*Tria ar-
matorū
millia in
vrbe Goa
salutari
aqua per-
fusa.
Pia mi-
litū con-
suetudo.*

*Anno
1560. ho-
minū mil-
lia plus
viginti
conuerſa.
Principes
ac dyna-
sta, Bra-
chmanes
& nobi-
les, tum
verò filia
Mealis re-
gis conuer-
tuntur.*

Arabes, Æthiopes, Cafres, Canarii, Guzarates, Dacani, Malauares, Bengalæ, Canaræ, Pegui, Patanes, Chingola, Iai, Malai, Manancabi, Macazari, Malucii, Sionii, Maun, Sina, & alii, qui quòd præclara ferè indole sunt, & eorum cõtubernio præſident certi homines è Societate, magna spe est, fore, vt in terras quisque suas dimissi Euangeliũ lögè lateq; disseminent. Nec sanè laboris est cur pœniteat. nam ex quo tempore Socii in ea loca profecti sunt, vniuersam panè Insulam Goam, finitimãque Diuarem & Coranum ad Ecclesiam Catholicam aggregarunt. Magnumque etiam in hac vita fructum industriæ suæ tum sæpe aliàs cepere, tum anno post Christum natum 1557, cùm illis humanissimè Constantinus Prorex bellum eo tempore comparans, tria armatorum millia, quos iidem in vrbe Goa salutari aqua perfuderant, sub signis ostendit. Militum est autem ea consuetudo atque animi pietas, vt quo die in expeditione ituri sunt, noxis per confelsionem elutis, summo manè ad sacram ædem agmine veniant: hastisq; & sclopis ad ianuam repleti religiosè depositis, vbi Eucharistiæ Sacramentum ordine singuli acceperint, altera ianua egressi arma sumant, seque inde firmiores & alacriores ad signa recipiant.

Anno verò, qui fuit à Christo nato 1560. hominum millia plus viginti cõuerſa, quorum duodecim millia & septingentos in ædibus suis iidem qui Christianis præceptis imbuerant Socii sacro fonte lustrarunt. Mocadani tres siue præfecti, pictorum, nautarum, artificum, vnà cum domesticis Christiana religione suscepta, ad eadem sacra vitæque institutum magnam sui quisque ordinis multitudinem perduxere. Sunt præterea in iis qui conuertuntur, cùm alii nobiles multi Mauri paganique & Brachmanes Indicarum superstitionum antistites, tum verò principes ac dynastæ; quo in numero fuit filia Mealis regis natione ac moribus Mauri, qui, vt in Idalcanis regnum restitueretur, ex quo fuerat exactus, Goam ad Lusitanos opis implorandæ causa confugerat. Hæc pueros Catechismum decantantes per urbem Societatis instituto, dedita opera sapius magna sua delectatione atque animi voluptate cùm attendisset, afflata diuinitus, parentibus quamquam inuitis ac renitentibus, Christiana sacra suscepit anno post Christi natalem 1557. Strenuus etiam in primis eques ac nobilis, cui in baptismo Alphonſi nomen fuerat inditum, hoc anno mortuus

mortuus est in eo bello, quod Antonius Prorex cum Mauris Paganisque Malauaribus habuit. Rex Tricanamalis viuit adhuc, honorificèque à Lusitaniæ Rege tractatur.

Rex verò Ceilani Ioannes, etiam Vlyssipone deinde versatus, & Societatis hospitio ibidem est usus. Atque hæc de principibus ac potentibus viris: qui sanè in Catholica fide mirabiliter stabiles fixique persistunt, exemploque ipsi suo plurimos ab erroribus in semitam veritatis adducunt.

De Brachmanibus autem duos præcipuè in medium afferam: quorum alter in amplissimo dignitatis gradu locatus, eruditionis & Astrologiæ præsertim fama præcellens, tantum sibi nomen ubique pepererat, ut à remotissimis etiam nationibus consuleretur, multiq; ab eo noxarum absolutiones suppliciter peterent. Is tantum sua conversione profecit, ut cum eo nemo ferè ethnicus ageret, quin victus illius rationibus cederet, seque ad Christum adiungeret. Alter item in primis insignis & locuples, quippe qui è sacerdotio quod gerebat, barbariæ illius totius decimas atque primitias caperet: omni pecunia commodisque Christi causa neglectis, ceteros quotquot poterat ad Euangelii veritatem omni conatu atque opera perducebat: quod idem studium in aliis quoque ferme neophytis, æque summis atque infimis, cernitur.

Institutum est etiam eiusdem Regis Lusitaniæ sumptibus contubernium frequens eorum, qui catechizantur, atque hospitalis domus, in quam vtriusque sexus ægroti, magno Christianæ rei incrementò, sese recipiunt. In his porro collegii domiciliis quadringenta ferè capita numerantur. Atque illa etiam Christianam rem non mediocriter adiuvant, vel quòd Baptismi quàm maximè solenni ritu ceremoniæq; peraguntur, Proregibus atque Praefectis magna animi delectatione latitiaque præsentibus: vel quòd Proreges neophytis habent honorem, quacunque re possunt benignissimè commodat, immunitates ac privilegia tribuunt, inclinantque ab illis onera in barbaros, idque tum sua ipsi sponte ac iudicio, tum Regis verè Christiani mandato, tum etiam Sociorum monitis ac suasu. Quod quoniam notum in vulgus est, sic fit ut Societatem neophyti magno pere diligant, ethnici valde reuereantur ac timeant.

In eadem insula oppidum est insigne fano D. Ioanni Baptistæ

Rex Tricanamalis.

Rex Ceilani.

Brachmanes duo præcipui Christi causa omniane gligunt & multis ad Christum adiungunt.

Catechumenorum & contubernium & hospitalis domus

Proregum & Praefectorum benignitas.

riffa dicat o. eius oppidi principes (Ganfaras vocant) ter
 fecundo Christiana rei progressu conturbati, ac vehemen-
 ter attoniti, in consilium de Republica veniunt, Tres dicte
 sententię. Prima iubebat, quoniam tanto impetu insulam
 vniuersam religio Christiana peruaderet, fortunis animarum
 saluti posthabitis, in continentem migrare. Suadebat alte-
 ra, tempestatis eius transitum expectandum: id fore, cum
 primū Prorex Constantinus ex insula decessisset. Tum ve-
 rō surgens ē senioribus quidam præcipua existimatione vir,
 Non tam nobis (inquit) de Constantini discessu, quā de
 Sociorum mansione cogitandum est: quæ quandoquidem
 erit perpetua, nec minōri apud ceteros, qui succedent Pro-
 reges auctoritate futuri sunt, commodiūs multo nobis vit-
 que fuerit, relictis Idolis vni Deo nos dedere, & Christiana
 sacra suscipere. Salutare omnibus consilium visum. itaque
 tanti per eos dies ad baptismum facti concursus, vt morta-
 les plurimos, non sine magno quidem ipsorum mœrore, in
 aliud tempus rejicere necesse fuerit. mira est enim candi-
 datorum in Christi sacris capeffendis alacritas. In Bati vi-
 co primarius quidam Camotis nomine, sub vesperā admo-
 nitus, vt postridie (qui dies erat sancto Ludouico Regi Gal-
 liae sacer) bene manē ad baptismum vnā cum suis præsto ef-
 fet, Proregem ipsum affore, proinde non esse tali tempore
 somno indulgendum, ecce tibi intempesta nocte ad sacer-
 dotis hospitium venit, & ianuam pulsat. Sequebantur eum
 cognati ac necessarii omnis ætatis circiter ducenti. viii
 virtis tēpora more patrio redimiti plumis insertis, quorū e-
 rāt sclopetarii ferme triginta, mulieres auro pretiosissq; la-
 pillis ornata. Ipse autē Camotis torque aureo insignis &
 sclopo, purpureisq; femoralibus sericis, argenteo ense et
 humeris dependente, militari ornatu, in primo agmine e-
 rectus nuntiat se, vti condictum fuerat, paratum adesse, cum
 tota familia, quoniam quidem ea nocte dormiendum non
 esset. Collaudata hominis vigilantia studiōque, domum re-
 dire, & in lucem quiescere iussus, vt primū Prorex cum E-
 piscopo Malacensi aduenit; magna omnium gratulatione
 gaudiōque cum suis est baptizatus. Petrus Almeida ē So-
 cietate est Goæ. Is Deorum signis demoliendis, diffringen-
 disque mirificè delectatur. Id quoniam neophyti intelli-
 gunt, certatim in ea re magistro gratificari conantur. Cum
 ē Bardensibus quidam contumeliis Crucem affecissent, id
 vbi

*Mira
 candida
 torum
 in Chri-
 sti sa-
 cris ca-
 pessen-
 dis ala-
 critas.*

vbi rescire Coranēses Christiani, iniuriam vlcisci consti-
tuunt. Nocte Bardem ingressi lapidea simulacra aliquot
furo surripiunt, statimque ad Almeidam afferunt. Laudat
hilari vultu diligentiam Almeida, nec patitur quenq; prius
se in simulacra manus injicere, quæ vbi ipse comminuit,
Christianos deinde iubet inspuere, pedibusque calcare. illi
imperata faciunt alacres: quin etiam iniussu, iurgia & pro-
bra ingerunt, maledictisque proscindunt, quæ tanto nuper
cultu ac superstitione venerabantur. Idem neophyti cum à
quodam è Sociis valde petiissent, vt crucem Corani defige-
ret, cumque ille rem differret diutius, quàm desiderium ip-
sorum pietasque ferre posset, delubrum antea sibi valde re-
ligiosum irrumpunt, detracta materia Crucem ipsimet fa-
bricantur, eamque à magistro consecratam magna animi
voluptate gaudióque in vico publicè statuunt, & sanè idola
sua ritusque barbaros mirum quanto odio prosequantur.
Anno quidem à Virginis partu 1567. in agro Salsettano (vbi
præcipuè florebat Brachmanica prauitas) delubra plus tre-
centa deturbata & solo æquata per litteras nuntiantur, sa-
ctis Dei templis eorum vice restructis, quorum curam gerit
Societas, idque partim Proregis imperio, partim etiam Fra-
trum Franciscanorum, & Societatis instinctu, quo facto vi-
ci planè octo & quinquaginta idolis nudati purgatiq; sunt.
Gansares verò, de quibus suprâ meminimus, affirmabant si-
bi Dæmonem apertè dixisse: Diuus hic Ioannes, qui in meo
colitur fano, maior atque præstantior est me: quocirca ei
cedere, vósque deserere, & in continentem abire cogor ex
Insula.

COCINVM.

Societatis IESV Collegium aliud est in vrbe Cocino,
spassuum ab Goa trecentis millibus, quanquam minori
Sociorum numero, iisdem tamen occupationibus atq;
laboribus: Ac tametsi in pacatis numeratur hoc oppidum,
non tamen omnino vacat insidiis. Melchior quidem Cat-
nerius è Societate Nicenus episcopus, (nam etsi ecclesiasti-
ca honorum insignia ac titulos, atque opulenta sacerdotia
legibus suis omni conatu Societas refugit, huiusmodi tamè
episcopatus ac munera, quæ certos habent labores atq; pe-
ricula, redditus ac vectigalia nulla, mandante Pontifice ma-
ximo recipit) is igitur cum per eos dies versaretur Cocini,
eodèmq; se contulisset Armenius episcopus nescio quis,
dum

ANNO
1567.
delubra
plus tre-
centa
detur-
bata, re-
structis,
eorum
vice, sa-
ctis Dei
templis.

Eccle-
siasticos
honorũ
titulos
quando
et qua-
les reci-
piat So-
cietas.